

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1242

Auteur(s) : Thomas de Putot [écuyer]

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1263, 19 août

Lieu d'émission : Putot-en-Bessin Feuguerolles-sur-Orne

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Thomas de Putot, écuyer, donne en pure et perpétuelle aumône et garantit à l'église de Bayeux une pièce de terre à Feuguerolles-sur-Orne, sur le mont de Bully : le chapitre lui verse 110 sous tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXVI, t. 2, p. 195-196.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, qui sunt et qui venturi sunt, quod ego Thomas de Putot, armiger, pro salute animæ meæ et omnium antecessorum meorum, de assensu et voluntate Clementiæ, uxoris meæ, filiæ Gaufridi de Ougna, dedi et concessi, in puram et perpetuam elemosinam, Deo et majori ecclesiæ Baiocensi quamdam peciam terræ, quam ego habebam in parrochia de Feugueroles, ratione dictæ uxoris, sitam in Monte de Bulleio, inter terram quam dicta ecclesia habet ibidem, ex venditione dicti Gaufridi, ex una parte, et terram Johannis de Bulleio, ex altera : tenendam et habendam dictam peciam terræ de cetero dictæ ecclesiæ, ad usum capellani deputati ad celebrandam cotidie, in dicta ecclesia, unam missam pro animabus bonæ memoriæ Guidonis, quondam episcopi, et Hugonis, quondam cantoris Baiocensium, tanquam puram et perpetuam elemosinam, sine aliqua reclamacione mei, vel hæredum meorum, seu dictæ uxoris, seu hæredum suorum, et sine aliqua exactione seculari, libere, pacifice et quiete ; et si contingeret quod dicta uxor, seu ejus hæredes, vel aliquis alius, dictum capellanum, post decessum meum, in dicta pecia terræ aliquid reclamarent, seu eundem in aliquo molestarent, ego dictæ ecclesiæ et prædicto capellano obligo et assigno quamdam peciam terræ, videlicet, unam acram quam habeo apud Putot, supra Maram du Valez, in exitu villæ, inter terram Willelmi Neel, ex una parte, et terram Michaelis Reelee (?), ex altera, nomine excambii ; quam acram terræ ego vel mei hæredes de cetero non possimus vendere, vel alienare, sive aliquo redditu honorare, quin vertatur in excambium dictis ecclesiæ et capellano, quocienscumque fuerit necesse, pro prædicta pecia terræ, si eam non poterimus eisdem garantizare ; et pro isto excambio faciendo dictis ecclesiæ et capellano, quum necesse fuerit, dictus capellanus, de bonis dictorum episcopi et cantoris, mihi dedit centum et decem solidos Turonenses in pecunia numerata. Et, ut hoc sit firmum et stabile in perpetuum, præsentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, die dominica post Assumptionem beatæ Mariæ Virginis, mense augusti, coram parrochiis de Putot et de Feugueroles.